

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO XVII.

De

CONFESSIOE.

PRO SECUNDA PARTE
EXAMINIS CONCILII TRIDEN-

tini, Reverendi & Clariss. VIRI DN.

D. MARTINI CHEMNITII

Duûm capitum.

- I. *Quid & quotuplex sit Confessio cuius in S. lite-
ris & Patrum scriptis sit mentio.*
- II. *Qua & qualis sit Confessio, de qua Pontificij
dimitant, cum precipuorum caussa istius fun-
damentorum everfione.*

Quam divina aspirante aura

Sub Præsidio

SALOMONIS GESNERI,

SS. Theol; D. & Profess: in Acad. VViteb. Publi-
ci ad 14. Martij ventilandam proponit in
Templo Arcis Electoral.

IOHANNES LUCKEN

Lemgoviensis Westph.

VVITEBERGÆ, Typis Meisnerianis, Anno 1604.





INCLYTO, ILLVSTRI
 ET GENEROSO DOMINO, DO-
 MINO SIMONICOMITI ET NOBILI Dy-
 nastæ IN LIPPIA &c. Cæs. Majest. Consiliario au-
 lico digniss. & VVestphalicarum provincia-
 rum præfecto supremo

Domino suo clementissimo,

Positiones has Theologicas grati & sub-
 jecti animi declarandi gratia

Dicat, Offert, Dedicat

Illustris & Generosæ ejusdem Cle-
 mentix subjectiss.

*Johannes Lucken Lemgov.
 VVestph. Resp.*



DISPUTATIO XVII.
DE CONFessione,
THESIS I.



Qvod Propheta Daniel vaticinio Spiritu in Vet. & D. Paulus in N. Test. de Antichristo prädixerunt, fore in novissimis diebus, ut filius ille perditionis, sedens in templo Domini sese elevaturus sit super omne id, quod DEVS, aut numen dicitur. Dan. 12. v. 36. & seqq. 2. Thes. 2. v. 4: id meherculè tum in auctoritate illa fictitia Pontificis Romani, quam super Ecclesias omnes sibi arrogat: tum in tyrannide, qua non modo in corpora & viscera piorum crudeliter sævit: sed etiam in animas usq. hominum penetrare, & carnificinam conscientiarum exercere non veretur, verissimè impletum esse nemo sanæ mentis facile negabit.

II.

Nam ut de reliquis Pontif. Rom. crudelitibus nunc sileamus, quis non novit quàm miserè hominū in Papatu Conscientiæ constricta, & illaqueata hætenus fuerint, & etiam num irretita teneantur: Dum ex iniquitatis suæ abyssu constituit, ut omnium ordinum homines Sacrificio cuiquam peccata sua etiam levissima scrupulose, & in specie enumerent, explicatis singulorum circumstantiis, quæ speciem mutant: aded, ut si quis ex ijs, quæ enumerari debent, aliquid prætermittat, non modo veniam non consequatur, sed potius novo se scelere obstringat, vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, moriens Christiana careat sepultura: imò sub æternæ salutis dispendio peccata non revelata reticeat.

Concil.
Trid. sess.
7. cap. 5.
Catechis.
Rom.
lib. 5. Decret. tit.
38. c. omnis

III.

Hæc & similia constitutionum portenta etsi manifestè impia & falsa sint: tantum tamen abest ut ea agnoscant & corrigant Pontificij, ut etiã Patres Tridentini Thraſonicè admodum jactitent, hanc suæ Confessionis formam juris divini & Orthodoxorum patrum niti auctoritate. Ideò multa scripturæ & Antiquitatis testimonia cumulant, & variis tenebris rem de industria involvunt.

IV.

Operæ pretium igitur fuerit rem penitus considerare, & ex Scriptura



ptura ostendere quam nam Confessionis formam probet & agnoscat, quam rejiciat.

V.

Quod ut eo melius fieri possit certis limitibus disputationem hanc de Confessione, sequentes filium authoris nostri D. D. Chemnitij includemus: I. Quid & quod duplex sit Confessio cujus in S. literis & Patrum scriptis sit mentio. II. Quae & qualis sit Confessio de qua Pontificij dimicant, cum praecipuorum causa istius fundamentorum everisione & p̄ Deū ostendemus.

DE PRIMO.

VI.

Initio autem non ineptè πολυσημασία vocabuli Confiteri ex S. literis eruenda videtur, quam pro diversitate objectorum, temporū & causarum obtinet. Tria autem potissimum in scriptura significata huius vocis occurrunt. Alias enim simpliciter testari palam, certū & intrepide affirmare significat Matth. 7. v. 23. & 10. v. 32. Iohan. 1. v. 20. Tit. 2. v. 16. Nonnunquam pro gratias agere, laudare, sanctificare usurpatur: cujus significationis exempla in Psalmis vel sexcenta habentur Psal. 6. v. 6. & 7. v. 18. & 9. v. 1. & c. Genes. 29. v. 35. 1. Paralip. 16. v. 8. 34. 35. Esai. 12. v. 4. & 25. v. 1. Dan. 3. v. 89. Luc. 2. v. 38. & 10. v. 21. Saepissime autē pro serio agnoscere & confiteri peccatum, aut culpam coram Deo vel hominibus, eamq. ex animo deplorare, detestari & deprecari sumitur Psal. 32. v. 5. & 6. Dan. 2. v. 4. Levit. 16. v. 21. Num. 5. v. 7. Matth. 3. v. 6. Iacob. 5. v. 16. 1. Iohan. 1. v. 9. & c.

VII.

Ex his duobus posterioribus significatis nata est divisio, qua utitur Augustinus de verbis Evangelij, Hom. 8. quod alia sit Confessio Laudis, alia Fraudis.

VIII.

De prostrema hac, Fraudis nimirū Confessione inter nos & pontificios controvertitur cujus varia genera & rationes indagare non inutile est. I. est Confessio quaedam, quae soli Deo fit eaq. est vel publica vel privata: Publica, quando nimirū tota Ecclesia Deo supplicem se sistit, ream se omnium iniquitatum peragit veniamq. à Domino precatur: fitq. tum ordinare, qualis confessio describitur Levit. 16. v. 17. & Dan. 9. v. 5: Hec eadem in multis benè constitutis & Reformatis Ecclesiis singularis

I. Genus
Confessio
nis.

717.
gulari cum fructu etiam observatur, & singulis diebus Dominicis
(præeunte voce ministri) certa precationis formula inclusa recitari
solet. Tum extraordinariè in publica videlicet & communi calamitate.
Hujus generis exemplum est in solenni illa Confessione, qua populus
Israeliticus ductu & auspiciis Esdræ & Nehemiæ, ob diuturnum exiliũ,
urbis excidium & religionis dissipationem defungitur. Esdr. 9 v. 6. 7.
Nehem. 1. v. 6. & seq. & 9. v. 2. Sic quoties peste, bello, annonæ cari-
tate, alijs vè calamitatibus affligimur officij nostri erit ad publicæ Con-
fessionis, ex qua reliqua pietatis signa dependent, remedium confugere.

I X.

Privata est, qua quisq; privatim tum & & dno sive interius in corde:
tũm & & dno exterius Deo peccata sua confitetur & deplorat, eorum remi-
ssionem seriò ab eo precatur & expectat. Ille enim est laesus & offensus:
ille itidem ea remittit, obliuiscitur, delet. Huic respondet Confessio
Davidis Psal. 32. v. 5. & 5. v. 5, 6, 7. & 41. v. 5. 2. Sam. 24. v. 10.
Danielis Dan. 9. v. 5. Publicani Luc. 18. v. 13.

X.

Utraq; hæc Confessio coram Deo facta, omni tempore necessaria est,
& maxime operè Deo commendatur, inq; ea prora & puppis Conuersio-
nis sita est: ubi verò ea non est, ibi nec peccatorum remissio, nec di-
uina gratiæ illuminatio. David certè Psal. 32. v. 3. præ angustia me-
dullam osium sibi exiccata fuisse testatur quamdiu peccata agnosce-
re & confiteri recusarit. Qui abscondit scelera sua non dirigetur Pro-
verb. 29. v. 18. Si dixerimus non peccauimus nos ipsos seducimus & ve-
ritas non est in nobis: Si verò confiteamur peccata nostra, fidelis est &
justus Deus ut remittat nobis peccata nostra 1. Ioh. 1. v. 8, 9, & 10.

X I.

Utilitates ejus permagnæ sunt: Nam generat in nobis contritionem,
excitat veram fidem, facitq; ut seriò quæramus, cum gratitudine acci-
piamus, & in filiali timore Domini retineamus misericordiam Dei &
remissionem peccatorum. Frangit etiam φιλαυτῶν humani ingenij, ne
Pharisaica persuasione turgidi nobis ipsis iusticiæ, sanctitatis & innocen-
tiæ titulum arrogemus. Cautiores etiam in posterum reddit nos, ut majori
diligentia mores gubernemus, & lapsus caueamus.

X II.

De hac Confessione Orthodoxa Antiquitas etiam loquitur. Pontifi-
cũ autem cum audiunt vocem Confessionis, protinus de Auriculari

A 3

sua



sua intelligendam esse exclamant, ut data opera errare velle videantur. Patres certè ita sese explicant ut quid nomine Confessionis intelligant nemini obscurum esse queat. Origines Hom. 1. in Psal. 37. Conuenit post peccatum confiteri peccatum: Id verò declarat exemplo Publicani Luc. 18, & Dauidis, Quæ, inquit deliqui, quæ concupiui, quæ commisi omnia ante te (ô Deus) profero & in orationibus meis ante conspectum tuum pono & gemitus meus non est absconditus à te. Sic Chrysostomus Hom. 3. in Matth. Confessio peccatorum testimonium est conscientie timentis Deum, qui enim timet iudicium Dei peccata sua non erubescit confiteri: qui enim non erubescit non timet: & illic turpitudine confessionis aspicitur ubi futuri iudicij pana non creditur. Planius vero sententiam suam declarat idem Homil. 13. in cap. 12. Hebr. Non dico tibi inquiens, ut te prodas in publicum neq; ut te apud alios accuses: sed obedire volo Prophetae dicenti: Revela Domino viam tuam; Ante Deum ergo confitere peccata tua. Item de incomprehensibili DEI natura contra Anomacos Hom. 5. Rogo & oro ut crebrius Deo immortali confitemini & enumeratis vestris delictis veniam petatis. Non te in theatrum seravorum duco: non hominibus peccata tua detegere cogo, repute coram Deo conscientiam tuam & explica: Ostende Domino prastantissimo medico vulnera tua & pete ab eo medicamentum. Iudicet hic judicare qui potest, num Chrysostomus de externa illa auriculari Confessione loquatur, an verò de interna, quæ Deo fit?

XIII.

II. Alterum Confessionis genus est quæ proximo laeso aut offenso fit. Nam cum in quotidiana conversatione, etiam amicorum, fiat nonnunquam, ut alter alterum vel verbis vel factis laedat: decet sanè ut ledens coram laeso culpam agnoscat & deprecetur: laeso vicissim incumbit, charitate fraterna delictum proximo condonare, & cum illo in gratiam redire.

XIV.

De hac loquuntur dicta Luc. 17. v. 3. & 4. Si septies in die peccaverit in te frater tuus & conversus fuerit ad te dicens, paenitet me, dimitte illi. Matth. 5. v. 23. & seqq. Iacob. 5. v. 16. Confitemini alterutrum peccata & orate pro in vicem. Exempla hujus Confessionis extant Genes. 41. v. 9. & 49. v. 17. ubi filij Iacobi culpam deprecantur coram Iosepho quod ipsum divenderint. 2. Sam. 19. v. 19 Semei, ob convitium, quod Davidi exuli fecerat, dolens, sibi ignosci petit. Christus
Matth

712
Matth. 6. graviter concionatur parti laesa, ut ad reconciliationem cum proximo properet, Si non dimiseritis, inquit, hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccatum. Et illam fraternam reconciliationem Deus promittit se ratam habiturum in celo Matth. 18. v. 18.

XV.

Sub hac Confessione comprehenditur, quando fraterna correptione ad agnitionem & confessionem peccati alicujus, etsi in nos non sit commissum, frater commovetur & adducitur: Ita enim lucratus es fratrem tuum, inquit Christus Matth. 18. v. 15. Et propter mutuam interpellationem Iacobus dicit utilem esse hanc Confessionem, Orate pro invicem ut salvetur cap. 5. v. 16.

XVI.

Tertio: Est in scripturis quaedam Confessio quae fit coram ministris verbi. Etsi enim Christiani omnes spirituales Sacerdotes 1. Petr. 2. v. 5. Rom. 15. v. 16. Hebr. 5. v. 12. appellentur: ac proinde in cujusq; fidelis sinum peccata nostra exonerare, liberum sit Iacob. 5. v. 16: tamen cum Deus ordinis amans pra aliiis ministros verbi ipsa ministerij vocatione nobis designarit: par est illos etiam a nobis pra ceteris ut plurimum in peccatorum nostrorum onere sublevando, eligendos esse. Proinde si quando nos peccatorum sensu affligi contigerit, privata Confessione apud Pastorem utamur, ac ad solatia nobis adhibenda, privatam ejus operam imploremus, cujus officium est & publice & privatim populum Dei Evangelica doctrina solari.

I H.

XVII.

Talis Confessio fuit Davidis coram Propheta Nathan, qua confitetur peccatum adulterij & homicidij sine enumeratione circumstantiarum 2. Reg. 12: addens tamen generalem Confessionem, Peccavi iniquiens, Domino: Et alibi. In iniquitatibus conceptus sum & c. Item omnes iniquitates meas dele Psal. 51. Vbi observatu dignissimum est quod David quidem Confessionem illam coram Propheta facit juxta titulum Psalmi hujus: sed tamen ad Deum Confessionem dirigit: & absq; speciali enumeratione peccatorum a Nathane dulcissimam illam vocem audit: Dominus abstulit peccatum tuum & c. 2. Reg. 12: v. 13.

XVIII.

Sic Christus summus ille animarum nostrarum pastor 1. Petr. 2. v. 25. nihil illis qui peccatorum mole gravati ipsum accedebant & generali

generali Confessione veniam precabantur, absolutionem impertisse legitur. Matth. 9. & alibi.

XIX.

Ita Zachaeus Luc. 19. v. 8. fatetur se multos fraudasse & pollicetur emendationem. Christus verò non exigit in specie à Zachaeo ut quibus, quoties, quomodo, quando & ubi hominibus imposuerit, exprimeret, sed contentus generali Confessione absolutionem pronunciat. Hodie salus huic domui facta est quoniam & ipse est filius Abraham. &c. Sic filius prodigus generali Confessione Peccavi in calum & in conspectu tuo &c. & emendationis promissione recipitur Luc. 15. v. 21. Ita Ierosolymitani postquam Iohannes Baptista gravissimis verbis iram Dei & aeternam poenam nisi resipiscerent, illis annunciasset, simulq; monuisset, ne simulatam sed veram & seriam agerent poenitentiam, peccata sua in genere confitentes, deq; admissis sceleribus serio dolentes, Baptisma in remissionem peccatorum ab ipso acceperunt.

XX.

AV.

Præter hæc genera usitata etiam fuit in Vet. Ecclesia Confessio quaedam publica, ex praxi illius temporis Ecclesie resuleans. Cum enim post Apostolorum tempora, divulgata prædicatione Evangelij per totum orbem, Magistratus politicus nondum religionem Christianam amplexus esset, ac proinde publica & atrocia scelera impunita manerent: Ibi Ecclesia ad disciplinam conservandam ad occurrendum etiã publicis scandalis Confessionem illam publicam, quam ἐξομολόγησις appellabant, introduxit. Illis ergo, qui deprehensi essent in publicis criminibus, quæq; excommunicatione (ut Augustinus dicit) plectenda erant, publicè erat Confitendum hoc est rei manifestorum criminum coram tota Ecclesia, quasi in publico Iudicio, accusabantur. Rei culpam publicè agnoscebant, & se denuò recipi in communionem petebant: Ecclesia vero interposito iudicio, imponebat eis publicam satisfactionem, ut hoc factò in notesceret omnibus, illos verè & serio poenitere.

XXI.

Hæc erat vel Voluntaria, vel Coacta. Voluntaria consentaneum videtur factum illud mulieris peccatricis Luc. 7. v. 37. & seq. quæ publicè externis signis crimen fatetur, reatum agnoscit, petit veniam, & emendationem pollicetur.

XXII.

Coacta fuit, quando rei scelerum & offensionum nolentes crimen suum

721.
suam agnoscere & confiteri, ab Ecclesia compellebantur ad publicam
ἑξομολόγησιν: sicut accidit Corinthio illi qui novercam polluerat 1.
Cor. 5. 2. Cor. 2. & 7: & Achano publicè delinquenti, à quo Iosua
publicam Confessionem criminis exegit, dicente: verè ego peccavi Do-
mino & sic & sic feci Iosu. 7. v. 19. & 20.

XXIII.

Hujus Confessionis crebra in patrum scriptis, & historia Ecclesiastica
fit mentio, adeoque eius consuetudo obtinuit apud veteres, ut etiam sum-
mæ dignitatis viros delinquentes illam disciplinam Ecclesiasticam fer-
re necessum fuerit. Apud Eusebium lib. 6. cap. 26. legitur Philippus
Gordiani filius, cum in Ecclesia populo precibus communicare vellet,
ab Episcopo loci illius non esse permissus, ἢ ἑξομολογήσεται, hoc est,
nisi confiteretur. Quin & ipsum Imperatorem Theodosium, Ambro-
sius Episcopus Mediolanensis die Paschatis templo exclusit, ob injustam
Christianorum quorundam cædem ejus culpa factam, nec prius ad S.
Synaxin admisit, quàm veræ ac seriæ penitentiae publica signa ederet.
Theodoret. lib. 5. cap. 11. & histor. tripartit. lib. 9. Augustin. lib. 5. cap.
26. de Civit DEI.

XXIV.

Quintò erat & alia confitendi peccata ratio apud veteres, ex
priori hac nata. Nam cum tanta esset severitas discipline & pietatis
sinceritas, ut multi se ipsos publicarent publica confessione, etsi crimen
commissum Ecclesiam lateret: Maledicis verò obtrektandi materia hinc
præberetur: sicut inquit Origenes Homil. 2. in Psal. 37. Qui lapsus est, pro-
cedit in medium & exomologesin facit, multi autem audientes vel
exprobrant, vel irrident, vel malè loquuntur: Vt ergo hac Confessio ad
edificationem Ecclesiæ fieret, consuluerunt Patres prius Sacerdoti vel
erudito alicui viro delictum exponendum esse, et eius consilium exquiren-
dum, num delictum publicè proferendum expediret. Ita Origenes in
Psal. 37. Circumspice, inquit, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba
prius medicum: Si intellexerit & præviderit talem esse languorem tu-
um, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo
fortassis & ceteri adificari poterunt, & tu facile sanari, periti illius
medici consilio hoc proponendum est. Suadet igitur Origenes ut la-
psus gravissimi primùm sacerdoti exponatur, ut de eius consilio vel
suscipiatur publica Confessio, vel omittatur.

V.

B

25 Sextò



72
VI.

XIV.
Sexto. cum de disciplina illa se veriore remissum esset nonnihil apud veteres, & atrocium scelerum patratores, si delictum nondum innotuisset, sponte Ecclesie illud prodere nollent, imò in notoriis etiam criminibus propter confusionem publicae Confessionis, omnem pro sua penitentiam recusarent: rigida illa Confessio abrogata penè fuit & commutata in Privatam: ita ut enormia illa scelera (alias toti Ecclesie manifestanda) privatim & secreto Sacerdoti indicarentur: qui postea, licet in specie crimen illud Ecclesie non manifestaret, injunxit tamen delinquenti publicam penitentiam, ut ipso facto in genere coram Ecclesia confiteretur & declararet se grave aliquid commisisse.

XXVI.

Hanc confitendi rationem præferre videtur Leo Episcopus Rom. publicae illi ἑξομολογήσει, quam improbabilem nominat, qua multi à penitentiae remediis arceantur: dum aut erubescant, aut metuant inimicis facta sua recensere. Sufficere ergo dicit illam Confessionem, quae primùm Deo offertur, deindè Sacerdoti, qui pro delictis penitentium precator accedit: quod tum demùm plures ad penitentiam possint provocari, si populi auribus non publicetur conscientia penitentis. Hinc liquet veteres Confessionem apud homines faciendam non censuisse vel juris divini, vel simpliciter necessariam fuisse, sed tantum disciplinae externae causa observasse: Alias enim vel abrogari vel mutari nullo modo debuisset.

XXVII.

VII. Septimò pro ratione aedificationis Ecclesiae constitutum fuit à Patribus, ut confitentes non cuilibet Sacerdoti peccata sua arcana revelarent: sed ad hanc rem praebyterum singularem, virum prudentem, bonae conversationis & ἐχέμοδον, id est servantem secreti, ordinarunt. Ad hunc lapsi accedebant & ipsi peccata confitebantur: Ille verò, secundum unicujusque culpam, mulctam indicebat.

XXVIII.

Et hic mos vetustus fuit in occidentalibus Ecclesiis, praesertim verò Romae ut refert Sozomenus. vetustior autem in Orientalibus, in quibus tamen abrogatus fuit postmodum à Nectario Episcopo Constantinopolitano, viro sanctitate & eruditione praestante, eò quod praebyter euulgasset Confessionem mulieris nobilissimae, quae confessa fuerat cum Dioniso se concubuisse, quod publicatum magno cum Ecclesiae scandalo fuit

723.

fuit conjunctum. Hoc Nectarij factum sudes est in Pontificiorum oculis, & mirè se torquent, ut quidvis potius abrogasse Nectarij probent, quàm secretam illam (quam dicunt fuisse auricularem omnium peccatorum enumerationem) Confessionem. Sed Sozomenus expressè dicit: Nectarius primus abrogavit Præsbyterum super penitentes ordinatum, & exemplum illius abrogationis secuti sunt fermè omnes Episcopi.

XXIX.

Ὁστὰρὸδ. Abrogata privata Confessione in Ecclesiis Orientalibus, in Occidentalibus ea retenta fuit: sed sicut antea publica Confessio in secretam mutata fuit: Ita postea etiam antiquata fuit severitas injungendæ publicæ penitentiae pro gravioribus criminibus secreto proditis: atq; ita etiam multa seu satisfactio publica in privatam mutari capit: Ita ut non amplius quasi in theatrum publicum producerentur qui atrocis delicta commiserant, sed inter privatos parietes penitentia illis iniungebatur, sicut jejunio, precibus, elemosynis, non opinione necessitatis aut meriti, sed tanquam corporalibus exercitiis, fidem suam & veram conversionem declararent.

XXX.

Et hæc pleraque Confessionis genera ex patribus annotata, ad ea potissimum crimina spectarunt, quæ Excommunicatione digna erant.

XXXI.

Tandem negari omninò non potest nec debet, mentionem fieri apud veteres aliorum etiam peccatorum Sacerdoti per Confessionem exponendorum. Undè Cyprianus lib. 5. epistola 14. & 16. dicit: In minoribus etiam peccatis, quæ quidem non in Deum committuntur de-venendum esse ad ἔξομολόγησιν.

XXXII.

Sed nullo modo Patres hanc Confessionem tanquam necessariam populo Dei obtrudere, vel meritum aliquod inde extruere voluerunt ut in Papatu fit; verum ut ἀδύφογοι τὴν in Ecclesia retinuerunt, & propter rationes & usus non inutiles populo eam commendarunt.

XXXIII.

Hæc confitendi forma, ut naturam suam liberam, & ad quam nemo necessitate quopiam præcepti, si ve juris divini est obligatus, respectu ordinis & disciplinæ externæ Ecclesiasticæ, in multis Reformatis à face Pontificia Ecclesiis, ita usu recepta est, ut non temerè negligatur ab eis, qui ad s. Synaxin accedere constituerunt: non quidem ac si quopiam præcepto Dei se prohiberi existimarent, sed quia nefas esse statuunt, nulla exigente necessitate transgredi & violare constitutionem, & consuetudinem Ecclesiæ, justis de causis introductam.

B 2

34. Qua-

VIII.

IX.

XX XIV.

Quales sunt 1. ut Minister verbi in tali privato colloquio auditorum suorum profectum in precipuis religionis Christianæ capitibus exploret. 2. ut hac ratione rudiores ad S. Synaxin accedentes de vero eius usu & cæteris articulis necessariis instruat. 3. Ne minister vel ignotum, qui non est de suo grege, & de cuius vita, fide & proposito ipsi nihil constat: vel Epicureos, blasphemos & in manifestis sceleribus perseverantes sciens admittat, & sic sanctum canibus det, & margaritas porcis projiciat contra Christi admonitionem Matth. 5. v. 6. 4. Ut qui impeditam conscientiam habent, & eius inquietudine in tentationes abripiuntur, vel quorum animos singularia facta perturbant, ope ministri eò melius confirmantur in fiducia meriti Christi. 5. Ut promissio universalis gratiæ per absolutionem privatam unicuique in specie applicetur propter majorem peccatorum remissionis certitudinem. Etsi enim non in viti largiamur publicam absolutionem idem prestare: Fit tamen nonnunquam, ut illis, quorum animi nimia anxietate laborant, generales promissiones ad totam fidelium congregationem destinatae, minus satisficiant, maneatque in aliqua dubitatione, ac velut nondum impetrata remissione inquietam conscientiam retineant. Ne igitur his dulcissimus Evangelij succus in acetum (quod dicitur) convertatur, non modò utile, sed propemodum etiam necessarium videtur, ut peculiari illa Evangelij voce, Remittuntur TIBI peccata, tua erigantur, & trepidatione qua prius astuabant, liberentur.

XX XV.

Abs re igitur est quod nonnulli, Confessionem hanc, quæ naturam suam non absolutam necessitatis sed liberrimi arbitrij est, prorsus ex Ecclesiæ Augustinæ Confessionis eliminandam censent, eamque ex vera superstitione oriri, & nihil nisi Papisnam sapere, contendunt.

XX XVI.

Æquior sanè est Iohannes Calvinus, qui propter usus, & rationes utilissimas modò recitatas, non potest non eam probare sic scribens: *Epi stola* *15. ad Mon* *pelgardē.* *Institut.* *cap. 9. di* *sti. Et. 28* *nes utilissimas modò recitatas, non potest non eam probare sic scribens: Ut se representent ministro & offerant ad examen qui Cane Dominicæ communicare volunt, adeò non displicet, ut potius id sentiam ultrò à nobis esse expetendum: Erit enim optimus piæ, sanctæque in Ecclesia disciplinæ nervus. Et alibi: Quin se sistant pastori oves quoties S. Canam participare volunt, adeò non reclamo, ut maximè velim hoc ubiq; servari. Nam & qui habent impeditam conscientiam referre inde possunt singularem*

725.
singularem fructum, & qui admonendi sunt monitionibus ita locum
præbent.

DE SECUNDO.

XX XVII.

Et hactenus quidem tum ex S. literis, tum patrum scriptis & histo-
riis Ecclesiasticis varia Confessionum genera recensuimus: super est nunc,
ut ad Pontificiorum Confessionem Auricularem accessum faciamus:
Eam nobis ita Conciliabulum Tridentinum describit: Peccator post Ba-
ptismum lapsus, omnia & singula peccata mortalia, etsi occultissima sint,
non in genere duntaxat, sed in specie ac sigillatim Sacerdoti integra, aper-
ta, & verecunda Confessione, explicatis singulorum circumstantiis, Catechif.
Romanus
quæ speciem peccati mutare possunt declaret, exponat & detegat, ex-
cussis & explicatis omnibus conscientie finibus & latebris: Imò ipsæ pra-
væ concupiscentiæ, quæ extremis Decalogi præceptis interdiciuntur,
Sacerdoti aperiantur. Et hæc scrupulosa & clancularia Confessio
iure divino est necessaria, ad eò ut cuius peccati coram Sacerdote nulla
facta est mentio, illud nullo modo etiam remitti possit. Qui contra mutire
audet, in hunc Anathematis fulmen vibratum volumus. Sic quidem
conciliabulum.

XXXVIII.

Nos verò nihil ipsorum fulmen brutum extimescentes, tanquam
et pelvi sonitum edens, Confessionem hanc Pontificiam, verè conscienti-
arum carnificinam, meritò ex Ecclesiarum nostrarum finibus & agris
pro scribimus, eamq; juris divini titulo $\delta\iota\alpha\pi\rho\eta\tau\iota\kappa\acute{\omega}\nu$ negamus, freti ratio-
nibus prægnantissimis.

XXXIX.

1. Quia nullum in scripturis S. expressum habet mandatum, nec ex-
emplo quopiam vel V. vel N. Testam. nititur. 2. Nullam habet promif-
sionem. 3. Contumeliosa est in meritum Christi. Nam Confessionem
Scholastici expressè dicunt Meritoriam esse ad culpæ remissionem, penæ
diminutionem, paradisi apertionem & salutis fiduciam. Hieronymus
Torrensis non veretur eam statuere vel maximam cultus divini par-
tem; imò præstantiorem esse ipsa fide, eamq; ex opere operato, propter
motus & actiones confitentis, & sacerdotis vocem, ac ceremonias alias,
remissionem peccatorum conciliare. 4. Conscientiis firmam consolatio-
nem non suppeditat, sed potius desperationis laqueum nectit. Cum

B 3

enim

enim homines intimos cordis sui recessus sollicitè adeò scrutari non possunt, & nihilominus omnia peccata etiam occultissima confitenda sibi esse audiant, quid quæso miseris hominibus relinquitur præter perpetuam animi fluctuationem? 5. Omnino est impossibilis. Iugum enim est quod neq; nos, neq; Patres nostri portare potuimus. David certe qui procul dubio probè secum peccatorum Confessionem meditatus fuerat, exclamare necessum habuit: Delicta quis intelligit? Ab occultis me munda Deus Psal. 19. v. 13. Quis igitur exactam peccatorum suorum (qualem Pontificij urgent) supputationem instituet: ubi videt ne ipsum quidem David numerum peccatorum suorum inire potuisse?

XL.

Patres Tridentini hac postrema ratione evidenti jugulum causæ suæ peti animadvertentes, hoc νεκρὸ φύγετον excogitarunt, ut dicerent, Non absolutam à se omnium peccatorum universalitatem intelligi: sed determinatam, eorum nimirum peccatorum, quæ Confessor post diligentem institutam explorationem habeat cognita. Verum quis non videt hoc esse palliare, non curare vulnus. Quod si enim hoc ita est, quorsum superioribus seculis sub Papatu Rhadamanthæa illa, ex barbaria prolata sententia: Quicquid non est Confessum, non est remissum? Quod si rursus excipiant illud de cognitis duntaxat, & non enumeratis peccatis intelligendum esse: Nos gratias ipsis magnas agimus, & sic inferimus: Aut peccata illa non cognita, non etiam enumerata remissa, fuerunt penitentibus; aut non fuerunt remissa. Si non remissa, tum frustranea fuit reliquorum peccatorum agnitorum enumeratio, frustranea etiam subsequuta Sacerdotis absolutio. Nam absolutio peccatorum ex parte nulla est, & ubi unius peccati retentio est, ibi omnium imputatio est: Sin remissa fuerunt, consequens est, primò, peccatorum remissionem non dependere à voce absolventis Sacerdotis: deinde posse remitti peccata sine enumeratione illa articulata. Et concessa exceptione hac Patrum, nihil tamen prorsus patrocinij ad causam suam inde redundat: Nam nihilominus manet tortura illa Conscientiarum: dum illæ semper dubitare necessum habent, an satis exploraverint & scrutata fuerint intimos cordium recessus, an non plura delicta nosse & numerare potuerint. Sic ergo miseris hominibus, inter sacrum & saxum hærentibus, exitus alius non patet, præter desperationem.

XLI.

Sed videamus jam quæ & qualia argumenta pro Confessione
sua

*Sua auriculari Pontificij adducant. Ingens autem semper inter Cano-
nistas & Scholasticos de Confessionis auricularis autiloritate certamen
fuit, his eam ex jure divino esse contendentibus: Illis negantibus, &
Ecclesiasticis duntaxat constitutionibus niti tradentibus.*

X L I I.

*Scholastici ut quod obtenderent, defenderent, magna impudentia
hoc locos Scripturae depravarunt & vitioserunt, quot in rem suam ci-
tarunt. Hinc, quidam ut auctoritatem divinam Confessionis auricula-
ri conciliarent, eam in Paradiso fundatam esse nugati sunt. Scriptum
enim est, Adam ubi es? Genes. 3. v. 10. Ite Cain ubi est Abel frater tuus?
Genes. 4. v. 9. Si quis hic quærat, quis ille fuerit, qui hanc Confessio-
nem ab Adamo & Caino extorserit, paratam sibi à Iesuitarum Coriphæo
Bellarmino responsionem habet; Confessionem hanc factam esse Angelo
cuiuspiam in forma humana (simili fortasse Iesuitarum aut Monacho-
rum) apparenti.*

X L H I.

*Sic quidam ad allegorias confugerunt, & quid vis ex quo vis finxe-
runt. Extat Proverb. 27. v. 23. præceptum Oeconomicum: Diligenter
cognosce vultum pecoris tui. Hic ut sapientiam suam & scientiam
interpretandi scripturas ostentarent, talem expositionem illius dicti tra-
diderunt: Agnoscere, significat audire Confessionem: vultus, arcana
conscientiæ: Pecora, sunt homines. Sed quis risum teneat cum sic inepti-
re eos videat?*

X L I V.

*Ex eodem fonte est & illud: Christus misit leprosum ad Sacerdo-
tes, quorum officium erat discernere inter lepram & lepram. Pecca-
tum autem est spiritualis lepra. Ergo. Bella ratiotinatio, ut à baculo ad
angulum. Christus enim leprosum ad Sacerdotes ablegans non vult
ut ei peccata exactè in aurem demurmuret, sed ut offerret suum munus
in lege Levit. 14. v. 4. constitutum: ne hac ratione & leprosus testimonio
sanitatis, & Sacerdotes suo præmio spoliarentur.*

X L V.

*Sic quæ ex Matth. 3. v. 6. ubi à Iohanne baptizati sua peccata
confessi dicuntur, & ex Iacob. 5. v. 6. in auricularis Confessionis sub-
sidium afferuntur, nihil ad rhombum. Iohannes enim eo loci non au-
riculari Confessionis operam dedisse legitur, sed tantum, qui generali-
ter peccatores se esse confessi fuerant, baptizasse. Et qui quæso unus
Iohannes*

Iohannes Baptista suffecisset tantæ hominum multitudini in audiendis ipsorum Confessionibus? quantum cedo temporis in illis consumendum fuisset? Quod attinet Iacobi dictum manifestum est, si proximè sequentia verba attendantur, loqui de mutua fraterna reconciliatione & precatatione. Conjungit enim hæc duo, Confessionem mutuam & orationem: Si ergo solis sacerdotibus (ex Pontificia hypothese) est confitendum, utiq; & pro illis solis orandum. Quid? quod vi verborum Apostoli Sacerdotes laicis vicissim peccata sua confiteri adigantur: ἀλλήλοις enim inquit, mutuò, in vicem, vicissim, aut si malunt, reciprocè Quam multa ergo nefanda scelera Sacrificulorum (quamvis sat multa munda innotuerint) hætenus occultata, in lucem prodirent?

LXVI.

His & similibus dictis superioribus seculis pro auriculari Confessione pugnatum est à nonnullis, hodieq; pugnatur: Verum Concilium Tridentinum parvi momenti ea esse & scopum non ferire intelligens: aliis argumentis sibi utendum esse duxit. Primum ergo in N. Test. auricularem Confessionem institutam esse à Christo dicit; atq; huius rei causa potissimùm ad veræ Ecclesiæ & Orthodoxæ Antiquitatis testimonium universale & consensum provocat.

LXVII.

Sed fallunt & falluntur Patres Tridentini. Nam primò cum à solidius scripturæ autoritate pendere nos ipsa scriptura jubeat Esai. 8. v. 20. & Patres Orthodoxi scripta sua ad trutinam divinarum literarum examinari velint, ut si quid in illis occurrat, quod cum S. literis ex æsse non congruat, bona pace repudietur: certè si quæ in illorum scriptis reperiuntur quæ Confessionem auricularem stabilire videbuntur, præjudicare sententiæ scripturæ, quæ nihil de ea continet, non possunt vel debent. Deindè vetustiores Patres non de Pontificia hac Confessione, sed de publica illa agere, quæ de manifestis delictis vel corà tota Ecclesia, vel corà Sacerdote fiebat, ac proinde nihil quicquam Clanculariæ Pontificiorum confessioni patrocinari, primo membro abundè demonstratum fuit. Tandem manifestum crimen falsi Patres Concilij Tridentini, cum de universali Ecclesiæ primitivæ, & unanimi, super Confessione auriculari, consensu splendide admodum gloriantur, committere, ex ipsis veterum scriptis contrarium demonstrantibus liquet.

Prodeat

Prodeat jus Canonicum & suam de autoritate auricularis confessionis sententiam pronunciet: Melius dicitur, inquit, confessionem institutam esse à quadam universalis Ecclesie traditione, quam ex N. vel V. Testamenti autoritate. Et post pauca: Ergo Confessio est necessaria quidem in mortalibus apud nos: apud Græcos verò non: quia ad illos non emanavit talis traditio.

XLIX.

Gratianus Iuris Canonici compilator, postquam discrepantes sui temporis Doctorum opiniones recitasset, quorum alij necessitatem confessionis affirmarent, alij negarent; ita subiicit: Quibus authoribus vel quibus rationum firmamentis utraq; sententia nitatur in mediū exposuimus: Cui autem harum adhaerendum sit, lectoris iudicio reservatur: Vtraq; enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Ergò de iure divino confessionem auricularem esse minimè credidit: Quicquid enim est iuris divini, id non cuiusvis arbitrio liberum permitti debet.

L.

sic, si lex Dei apud veteres fuisset auricularis confessio, qua fronte Nectarius eam refigere & convellere ausus fuisset? Anathema illi dicent: at eodem modo totius Orientis Episcopos damnabunt, qui in Nectarij factum ut probabile consenserunt, suoq; exemplo postea comprobarunt. Ecce quàm pulchrè in auriculari sua confessione, antiquitatem totam habent ἐμὸς ἱερός Pontificij.

LI.

Alterum argumentum pro stabilienda clancularia confessione Patres Tridentini ex cap. 20. Iohan. producant, ubi tanquam in propria sua sede eam tradi dicunt. Nam cum Christus, inquiunt, potestatem clavium Apostolis, eorumq; successoribus attribuat, ipsosq; iudices Ecclesie in causis pœnitentium constituat: Et verò certum sit, iudices non posse de causis judicare sine exacta earundem circumstantiarum enumeratione: Sequi hinc, absolutionis processum instituentum esse ad formam iudicij forensis.

LII.

Verùm nimium hallucinantur Patres. Nam etsi Christus eo loci potestatem Apostolis & singulis Ecclesie ministris, & potestatem quidem talem dedit, ut Apostolus 2. Cor. 10. v. 8. & 13. v. 10. de ea gloriari

C

ausit



ausit, potestatem, inquit, nobis dedit Dominus ad adificationem non
 everfionem: non tamen illis $\alpha\upsilon\tau\epsilon\gamma\delta\sigma\iota\omicron\upsilon\pi$ potestatem tribuit, quæ in
 charactere sacerdotali, (ut illi nugantur) inq, functione judiciaria
 consistat: Id enim neq, ex hoc dicto si vel maxime in succum & sangui-
 nem redigatur, neq, ullo alio s. scripturæ loco elici potest.

LIII.

Quod si ergo Spiritum S. in scripturis loquentem consulamus,
 ostendit ipse potestatem hanc duobus modis à ministris exerceri pri-
 mum quidem $\delta\epsilon\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, dum monstrat quid potissimum faciant mi-
 nistri ut lapsi reconcilientur cum Deo, prædicando nim. remissionem
 peccatorum in omnes gentes: & testimonium perhibendo de Christo Luc.
 24. v. 47. & 48. Item: fungendo ministerio reconciliationis & legatio-
 nis pro Christo, ministrando nimirum & dispensando mysteria Dei i. Cor.
 4. v. 1. 2. Cor. 5. v. 8. Deinde idem Spiritus S. ostendit etiam quid
 $\alpha\phi\epsilon\epsilon\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ sive auferendo præsent ministri in reconciliatione lapsor-
 um cum Deo: & quidem non ex propria potestate, sed duntaxat ratio-
 ne ministerij, & $\delta\epsilon\gamma\alpha\upsilon\iota\kappa\omega\varsigma$: ut quemadmodum Propheta Nathan non
 dixit, Ego transtuli peccatum tuum, sed, Dominus transtulit: Ita mi-
 nistris verbi non fas est dicere, Ego tibi ex potestate & autoritate pro-
 pria: sed, Ego minister Ecclesiæ in Christi nomine annuncio remissio-
 nem peccatorum.

LIV.

Obstrepunt hic Patres Tridentini: Omnino tamen ministro ne-
 cessariam esse discretionis clavem, quæ sine cognitione & iudicio esse
 non possit, ne videlicet minister aut solvenda liget, aut liganda solvet.
 Concedimus. Quid tum? Habeat minister discretionem, non ex auricu-
 lari illa Confessione & omnium circumstantiarum enumeratione, sed ex
 generali illa Confessione & confitentis fide, quam seria penitentia &
 de peccatis admisis dolore, eorumq, detestatione, & imploratione nu-
 minis divini, declarat. Super vacaneus ergo ille processus iudiciarius
 est, qui in æstimatione vel quantitatis vel qualitatis peccatorum consti-
 tit. Accusent praxin, Apostolicam imò ipsius Christi Servatoris, huiusmo-
 di processum penitus ignorantis, & generali peccatorum agnitioni remis-
 sionem annunciantis Matth. 9. v. 2. Luc. 7. v. 48.

LV.

At regerunt: Generali Confessione peccator potest ministrum
 fallere

fallere. Quasi vero id etiam in administratione Baptismi accidere non possit: quasi qui eius sunt generij & ingenij etiam ipsis Sacrificulis arcanorum alioquin scrutatoribus imponere non possint, dum quæ ipsos scire volunt, exponant, quæ latere, reticeant. Et licet ita ministrum fallant, num propterea Deum fallent καὶ ἰοῦνόςκῃ? Minime. Deus enim non irridetur: Et hi gravius sibi accumulunt iudicium, dum ita penitentiam simulant, & quantum vis voce ministri se absolutos sibi persuadeant: manet tamen eos ira Dei, & certissima pœna, nisi resipiscant. Ministri enim vox cum conditione penitentia, & non nisi qui contrito sunt spiritu, ut Scriptura loquitur, & ad thronum gratia & misericordia divina confugiunt, prodest.

LVI.

Atq; hæc sunt illa quæ ad confirmandam auricularem Confessionem tum Tridentini Patres, tum conductitij Rom: AntiChristi rabulæ adducunt.

LVII.

Ne quid autem impietati Rom. AntiChristi deesset, sed ut numerum abominacionum suarum compleret, certum etiam aliquod tempus ordinavit, quod Quadragesimale appellatur, quo omnes homines cujuscunq; ordinis aut sexus, qui ad annum discretionis, venerunt, sub salutis jactura peccata sua confiteri teneantur.

LVIII.

Constituit banc legem Innocentius III. Papa Rom: in Concilio Lateranensi Anno 1215. Romæ celebrato.

LIX.

Hanc constitutionem, ut piam & salutarem Patres Tridentini Conciliabuli mirifice collaudant, & amplectuntur, & Tempus Quadragesimæ sacrum & maxime acceptabile esse dicunt hoc, est ratione temporis plus valere & acceptam magis esse Deo Confessionem tempore illo factam: Contra vero sentientes anathematis fulmine percutiunt.

LX.

Væ ergo D. Paulo Rom. 14. v. 5. Coloss. 2. Galat. 4. v. 10. dicenti dierum observationem & estimationem unius diei præ altero, Christianis minimè necessariam esse, omneq; discrimen dierum ratione conscientia



jam sublatum, neq; coram D'EO unum diem alio aut acceptiorem aut
 sanctiorem esse. Quam doctrinam Paulinam, ut Pater celestis tan-
 quam sacro sanctum depositum, sartam tectam apud nos conservare,
 & ad posteros propagare: Rom. Antichristi Humanas traditiones abo-
 lere, & contra ejus rabiem nos defendere, tandemq; in æ-
 ternum salutis portum transferre dignetur: faxit ille
 idem per & propter Christum Iesum Salvalo-
 rem nostrum unicum. Amen.

FINIS.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



0 XVII.

SIONE.

DA PARTE
ILLI TRIDEN-
arils. VIRI DN.
HEMNITII

tum.
*onfessio cuius in S. lite-
fit mentio.*

*rio, de qua Pontificij
rum caussa istius fun-*

*irante aura
dio*

GESNERI,
Acad. VViteb. Publi-
dam proponit in
lectoral.

LUCKEN
Westph.

isnerianis, Anno 1604.



713.

35

